

rum genus & his assuetum incommodis, rident. Domesticæ rei cura, & quidquid in familia laboris est, imponitur feminis. Illæ domos figunt, ac refi-gunt; aquam, & ligna devehunt, cibos apparent: vicem & locum mancipiorum, opificum, & jumentorum, im-plant. Venationis & belli cura, virorum est. Hinc gentis solitudo, & paucitas. Mulieres enim, ceteroquin haud infecundæ, his districtæ laboribus, neque maturos edere queunt fetus, neque alere jam editos: itaque aut abortum patiuntur, aut partus recentes destituunt, aquationi, lignationi, ceterisque operibus intentæ; vix ut trigesimus quisque infans adolescat. Accedit rei medicæ inscitia, cuius ignoratio, facit ut è morbis paulo gravioribus raro emergant.